

natione Anatum certum censum extraneis venatoribus perducendis antelatus Dominus Commissarius providere non intermitteret.

17. Quoniam ex supraductorum confiniariorum emolumentorum Cassam Regni publicam pro exolvendis militarium Officialium Stipendiis concernentium diminutione fundi contributionalis necessario sequeretur defectus, propterea pro compescendis denotatae Cassae defraudationibus, tempore prohibito educillaturos, et ante admissum tempus per Commissarium, absque Schaeda, aut ultra revelatum Caputum numerum Majales ad Glandinationem immissuros traphicatores, item non soluto Telonio a mercibus, a quibus hactenus solvi consuevisset pertrans-euntes, velut ipso facto contrabandi poenam incurrentes, denunciandi tertialitatem contrabandi, duabus pro cassa Regni reservatis, praelibatus Dominus Commissarius effective tradi committet.

18. Sua Excellentia Banalis Superioribus Militaribus Officialibus, quatenus ad praemissae Commissariatus Instructionis observationem et Executionem, prout proprii sui regulamenti, omnem Domino Commissario praebeat assistantiam, est demandatura, prout etiam eadem sua Excellentia sese omnimode facturam resolvisset et declarasset.

19. Quemadmodum praemissa in reliquis Confiniis quoad emolumenta, eorundemque promotionem et respective considerationem regulatio et Dispositio facta habetur, ita in Confinio quoque Dubicensi per Dominum pro tempore futurum loci Commendantem punctualiter et exacte servanda, ac ipsa etiam proven-tura ex Confinii ejusdem emolumentis peccunia sua via ad cassam publicam com-portanda veniet.

20. Circa stateras, mensuras Aridas et liquidas, pretiaque rerum venalium, nec non intuitu rerum ex Turcia ad hanc partem transferendarum, qualesnam dispositiones essent instituendae, suam opinionem scripto quantocius comprehendet, et pro adprobatione Regno et Bano submittat.

21. Quoniam modalitate praedecarata Knezij subalternati essent Commissariatus, ideo Knezyum Loci, ubi vacantia occurrerit, prout hactenus Populus eligit, expeditionemque desuper a Domino Commissario levaturus, si tamen contra taliter electum idem Commissarius aut Dominus Regiminis Colonellus aliquam non habuerit considerationem. Quare

22. Ut Knezyatus pro possibilitate regulentur, sive ad aequalitatem reducantur, numerus eorum successive diminuendus erit, ita videlicet ut penes duas compagnias unus sit Knezyus, et tali ex miserabilioribus unus detur spanus.

23. In reliquo demum fideli curae solertique dexteritati praeattactorum successive evenibilium, pro emolumento et indemnitate Regni sedula administratio Domino Commissario committitur. Cui, considerata virium intrinsecarum exiguitate, Officii sui intuitu Annuum florenorum 700 salarium ordinandum opinabatur; Salva Inclytorum Statuum et Ordinum praesentem instructionem successivis etiam temporibus pro re nata augendi, diminuendi et modificandi ultronea facultate.

Originale in Archivo Regni Croatiae.